





24

COROLLARIA,

Anti Pietistica

Qvæ

*VIR Maximè Reverendus atque Excellen-  
tissimus*

DN. JOH. REINHARDUS  
HEDINGERUS

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Giessensis,

Jam,

*Serenissimo VVirtembergiæ DUCI*

EBERHARDO LUDOVICO,

&c. &c.

à Concionibus & Consiliis Sacris,  
Theologus Cordatus,

Disputationi publicæ subjecit,

& idè

*Pietistarum persecutiones  
tulit.*


---

GRYPHSWALDÆ, A. 1699.





I.



Verbum DEI efficaciam internam non amittit, quamvis à profano ministro, Hypocrita, Diaboli mancipio, v. g. Bileamo proponatur: Ita & Sacramenta mandato & promissione nituntur, non qualitate Ministri. Contrarium qui sentiunt, vim facere videntur & veritati & conscientiis.

II. Id, quo JUSTIFICAMUR coram DEO illique accepti sumus, non est JUSTITIA CHRISTI, quam operatur Spiritu suo IN NOBIS, SED EXTERNA, quam in cruce pendulus exactâ obedientiâ Legi præstitâ tanquam Θεάνδρωτ & generis humani Sponsor acquisivit. Τὸ δὲ μὴ ἐργαζομένω, πιστεύοντι δὲ ἐπὶ τὸν ἀσεβῆ (impium, qui nihil habet propriæ sanctitatis, UT TALEM) λογίζεσθαι (per imputationem EXTERNAM & forensam) ἢ πίστις αὐτῶ εἰς δικαιοσύνην non practicam & effectivam, sed imputatam, Christi sc. Sponsoris mortui in cruce Rom. IV. 5. Qui talia non credit, nec Pauli discipulus est, nec Lutheri.

III. Unde

III. Unde FIDES nos non justificat, ut est *Vita Spirituavis* Christumque INTRA NOS operantem persentiscit, sed ut complectitur id, quod *extra nos est*, *Justitiam PERFECTISSIMAM*, perfectissimâ obedientiâ *θεοῦ ἰσχυροῦ & dudum absolutam.*

IV. Ergo Sanctitas & *νοσηρία* Christi *ἡ ἡμεῖς ἰσχυροῦ* II. Pet. i. vers. 4. *sanctos* quidem reddit & felices, sed minimè JUSTOS aut DEO acceptos. Quamquam neque fidem neque vitam spirituaalem sine *operibus*, *Luce, motu*, ad extirpationem vitiorum & profectum virtutis concipere fas sit. Neque diffitemur cum Hermannio Witfio, etiam illud *Justitiam* esse & vocari, quo sancti efficiamur; ut ambagibus non fuisset opus, in quas diffunditur *Oeconom. Fæd. Opp. l. 3. c. 8. §. 23. seq.*

V. Peccatum Adami non *illud tantum* imputatur, quod generatione *transit* in pòsteros, sed etiam quod tanquam à *capite morali* commissum, IMMEDIATE singulis in foro divino UT PROPRIUM adjudicatur: *Rom. V. 12.* & hoc illius imputationis traductionisq; causa est. Pariter IMMEDIATE Justitia Crucis Christi imputatur peccatoribus, & propter illam *ingeneratur Justitia Sanctitatis* inhabitantis. Hoc vult Sole clarior *ἀναλογία Capitis* V. ad Romanos.

VI. SUMMUM quod militanti Ecclesiæ beneficium promissum est, REMISSIONEM vocat *peccatorum* Paulus *Col. I. 14.* &c. quæ *ἀφεσις* non est *reformatio nature*, sed donatio *aliena Justitia*: quanquam hanc illa sequatur, ob unionem *Justi* cum Christo VITA per *fidem* *Gal. II. 20.*

VII. Ut *voluntate* opus est ad Sanctimoniam, ita *ratione* ad fidem. Ratio illuminando non extinguitur, sed à *tenebris* purgatur. Imperare quod credas, nec *rationem dare*, facinus est pudentium in Mysteria DEI, *latibulum* confusionis, *fraus* Principis tenebrarum. Sine Scripturis nemini creditur, ne *angelo* quidem *Gal. I. 7.* & illa est RATIO RATIONUM.

VIII. At Scripturæ *sensus* non est, qui interpreti VIDETUR: Si dicas: credere oportet, *hunc non alium sensum esse*, plane fit *ἀλογισως*. Cedo enim causam, cur credere debeam? An quod *illuminatus* sis? Sed nondum hoc probasti. Etiam illuminati falluntur. An quod *testimonium* habeas Spiritus S.? Sed unde nosti Te habere, nisi *Testimonium internum cum externo* in LITERALI SENSU conspiret?

IX. Eapropter vulgatum illud: NOVA LUCE indiget, qui *Scripturas interpretetur & Prophetias, & Prophetia testantur de Luce novâ*, circulum habet manifestum, qui petit τὸ ἐν ἀρχῇ.

X. CHILIASMI defensores variis nituntur Hypothesibus, nitique debent. (α) Dari periodos *temporum, eventuum, fatorum Ecclesiæ*. (β) Unam alteram κατ' ἀναλογίαν explicare. (γ) Sensem *literalem & Historicum* minimum esse, *Mysticum & Spiritualem*, fidelibus *unicè* perspectum, potiori loco habendum, ceu *clavem* mentis *divinæ*. Sic (δ) dari *sensus fecundos*, ut idem vocabulum v. g. *Israel, Zion, Moab &c.* plura significet *ex instituto* divino: Unamque *Prophetiam* plures habere posse *impletiones*, DIRECTE à Spiritu S. intentas, quamvis *gradu & claritate* differentes. (ε) Sensem *Spiritualem non ex literâ* erui, sed à DEO dari, frustra; per rationes doceri. (ζ) *In numeris sacris, vitâ Christi ejusque ordine &c.* plus latere, quam *Obedientiam Legis Sponsoriam: In futuram* fatorum indicationem omnia prominere. (η) *Prophetas* uberius loqui de Regno Christi *futuro*, quam *Apostolos* tempore propiores &c. & plures alia. Quales tamen, si *Andabatarum* more pugnandum non sit, non SUMI DEBENT, SED liquido PROBARE.

XI. *Spirituales* suâ opinione, qui alios libenter *judicant, contemnunt*, tanquam *Carnales* traducere & calumniari *palmarium suum*, opus esse existimant, se eopse d profitentur se esse *Hypocritas, impostores, CARNALIBUS CARNALIORES.*

FINIS.

Ung VI - 13

ULB Halle 3  
003 499 529



84

h. 5. 23. 30 Stück

VD17

7







24

# COROLLARIA,

Anti Pietistica

Qvæ

*VIR Maximè Reverendus atque Excellen-  
tissimus*

## DN. JOH. REINHARDUS HEDINGERUS

S.S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Giessensis,

Jam;

*Serenissimo VVirtembergiæ DUCI*

### EBERHARDO LUDOVICO, &c. &c.

### à Concionibus & Consiliis Sacris, Theologus Cordatus,

Disputationi publicæ subjecit,

& idè

*Pietistarum persecutiones  
tulit.*

---

GRYPHSWALDÆ, A. 1699.

